



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

Romæ Poëticam & Eloquentiam annos plurimos professus, composuit *Crispam Tragædiam*, quæ ter Romæ exhibita cum applausu mirè placuit.

BLASIVS VIEGAS, natione Lusitanus, patria Eborensis, in Societatem nostram puer xv. annorum admissus est Eboræ, mense Martio, anno salutis M. D. LXIX. qui cum omnibus ingenuis artibus expolitus, tum Latine Græceque potissimum eruditus, humaniores litteras multos annos professus est. Deinde postquam in Academia Eborensi, magna cum excellentis ingenij, acris iudicij, atque exquisitæ doctrinæ opinione Sacras litteras explicasset, præclaros scripsit *Commentarios exegeticos in Apocalypsim Ioannis Apostoli*, qui viris eruditis valde probantur, & Concionatorum manibus teruntur. Cum autem lucubrationes etiam suas in Prophetas pararet, morte impeditus est. Obiit xxii. Augusti, anno salutis M. D. XCIX. magno sui relicto desiderio. Erat enim vir non ingenio tantum magno, facili, prompto, atque ad omnia parato, sed etiam placido, affabili, & benigno.

C.

CAROLVS SAGERIVS, natione Gallus, primus Rector fuit nostri Burdegalensis Collegij. Scripsit doctos atque elegantes *in Epist. D. Pauli ad Ephesios Commentarios*. Scripsit etiam *de Institutione Sodalitatis, siue, (vt vocant) confraternitatis sanctissimi & venerabilis Sacramenti*.

CAROLVS SCRIBANIUS, natione Belga, patria Bruxellensis, maioribus tamen, quod nomen indicat, Italis Placentinis. Vixit in Societate annos vi-

ginti septem; Rector Collegij Antuerpiani, Philosophus ac Theologus. In humanioribus litteris quid possit, docet.

Amphitheatrum honoris, aduersus Caluinistarum criminationes libris IV.

Ars mentiendi Caluinistica, nomine Romani Veronensis edita.

Et in Dominici Baudei Gnomas Commentarius.

Hæc scriptio illius quædã anteludia; plura cum bono Deo, quã in Theologia, quã in humanitate sequens ostendet ætas.

CHRISTIANVS HALVERIVS, natione Germanus, patria Haluerensis, Romæ Societatem complexus est, anno salutis M. D. LVIII. in qua religiosè vixit, ac piè mortuus est Fuldæ, anno M. D. LXXXI. x. Ianuarij. Scripsit,

Disputationes de fide Theologica, eiusque origine, ac certissima forma.

De vnus Ecclesie sanctæ Catholicæ & Apostolicæ origine, & numquam interrupto progressu.

De Domini nostri Iesu Christi morte, sepultura, resurrectione.

CHRISTOPHORVS BROUVERIVS, natione Belgæ, patria Arnhemensis, anno salutis M. D. XXX. XI. Martij in Societatem nostram Coloniae admissus est, iuuentutem politioribus litteris expoliuit, Philosophiam etiam Treueris feliciter professus est. Antiquitatis Ecclesiasticæ tum profanæ eruendæ studiosus & felix; quo nomine à Card. Baronio Tomo Annalium Ecclesiast. x. mirificè aliquoties laudatur. Collegit magno labore ac studio, peragrata prouincia Treuerensi, excussisque omnibus archiuis,

Anti-

Antiquitates Annalium Treuerensium, & Episcoporum Treuerensis Ecclesie suffraganeorum, ut Metensium, Tullensium, & Verdunensium.

Euulgauit *Venantium Fortunatum*, à se Notis illustratum, ac nouis Tractatibus auctum. Rector fuit Collegij Fuldenfis.

CHRISTOPHORVS CASTRIVS, natione Hispanus, patria Ocaniensis, Diocesis Toletane, natus est anno salutis M. D. L. I. atque à puero Societatem nostram adamans, eam complexus est, Compluti Latinis ac Philosophicis imbutus litteris, anno M. D. LIX. Vir est bonarum artium litteris eruditus, in quibus dies noctesque indefesso versatur studio, Toletani Collegij Rector. Scripsit haecenus,

Deiparæ Virginis Historiam, cum auctoritatibus SS. Patrum, Latinè & Hispanicè.

Commentarios in Ieremiam Prophetam.

Sunt & in manibus, sed nondum limati, *Commentarij in Prophetas minores.*

CHRISTOPHORVS CLAVIVS, natione Germanus, patria Bambergensis, à prima adolescentia filius Societatis, cum alias scientias imbibit, tum verò Mathematicas avidissimè ac studiosissimè didicit, & magna cum laude Romæ professus est; tantumque felicitate ingenij atque labore assiduo profecit, vt non cum recentioribus tantum Mathematicis, sed etiam cum antiquissimis illis & peritissimis sit comparandus; quemadmodum præclara, quæ haecenus scripsit, monumenta aperte testantur. Ex quibus quæ ad manus meas peruenerunt, hæc sunt:

In vniuersum Euclidem.

In Sphæram Ioannis de Sacrobosco.

Geometrica Practica.

Gnomices libri VIII.

De Horologiis.

Astrolabium.

Cursus Mathematicus.

Apologia Kalendarij Gregoriani.

Theodosij Spherica.

Castigatio Castigationis Iosephi Scaligeri, qua Kalendarium Gregorianum labefactare tentauit.

De Arithmetica Practica.

De sinibus, & de lineis tangentibus.

Computus Ecclesiasticus.

Epitome de Horologiis.

Quæ eius opera adeo probantur viris Mathematicarum disciplinarum scientia præstantibus, ut alij CLAVIVM nostri sæculi EVCLIDEM nuncupent; alij verò malle se à CLAVIO vituperari, quàm ab aliis laudari scribant.

CHRISTOPHORVS MADRIDIVS, natione Hispanus, patria ex oppido Daimiel Tolet. diœcesis, peractis Compluti Philosophiæ ac Theologiæ studiis, Romam anno salutis M. D. XL. profectus est, vbi apud Ioannem Dominicum de Cupis, sacri Collegij Cardinalium Decanum, Theologi officio per diu functus, cognita tandem atque reiecta mundi vanitate, sese B. Patris nostri IGNATII permisit potestati, eiusque consilio Societatem nostram amplexus est. Deinde apud P. Iacobum Laynem secundum Præpositum Generalem Assistens fuit, Romanam Professorum domum per multos annos gubernavit. Erat autem vir grauis ac prudens, eiusque consilium magni faciebat B. P. IGNATIVS. Scripsit perutilem ac doctum libellum *De frequenti vsu Eucharistia,*

ristia, aduersus eos, qui rem sanctissimam atq; ipsa experientia vtilissimam fucatis & adumbratis rationibus oppugnant. quamquam iam inter Catholicos, qui oppugnent, pauci sunt. res enim ipsa clamat. Ante quinquaginta verò annos, quo tempore CHRISTOPHORVS scripsit, re, vt videbatur, noua ac minùs comperta, erant permulti quibuscum decertandum fuit. Cessit è vita Romæ sexagenario maior, anno salutis M. D. LXXIII.

CHRISTOPHORVS ROSEMBVSCO, natione Germanus, varios *Tractatus cõtra hereticos*, in his contra Lucam Osiandrum, Germanicè scripsit; atq; ex Italico vertit *Itinerarium Principum Iaponiorum*, & multas *Epistolas Iaponicas*.

CHRISTOPHORVS A SACROBOSCO, natione Hibernus, Philosophiam in Italia, Sacrasque litteras Patauij cùm explanasset, in Britanniam Catholicos iuuãdi studio profectus, vincula & carceres passus, cum pestilentis cathedræ ministris sæpè disputans; liber à vinculis edidit in Belgio Antuerpiæ

Defensionem Decreti Tridentini, & sententiæ Bellarmini de auctoritate Vulgatæ editionis.

Item, *De inuestiganda vera Ecclesia.*

CHRISTOPHORVS STEPHETIVS *Orationem funebrem* à se habitam edi permisit.

CLAVDIVS A QVAVIVA, natione Italus, patria Neapolitanus, filius Ducis Atrij, in ipso ætatis flore xxv. annos natus, cùm politioribus iam tum litteris esset excultus, & sanctorum Patrum lectione instructus, & Pio QVINTO Pontifici Maximo à cubiculis, atque gratissimus, res suas seculum habere iussit; & omnia illius ornamenta, opes, dignitates, (quæ propter summam CLAVDII nobilitatem, modestiam,

destiam, ingenium, & principis gratiam, ipsi non dubia spe proponebantur) tamquam stercus arbitratus, nudus ad CHRISTI nudi Crucē confugit, & nostris addictus est Romę anno salutis M. D. LXVII. vicesima secunda Iulij, in ipsis feriis B. Magdalene. Deinde positis Religionis rudimentis, & grauioribus studiis confectis, tantus in CLAVDIO enituit virtutis splendor, tanta grauitas morum atque suauitas, tanta prudentia, vt Prouincia ipsi Neapolitana primū gubernanda demādaretur, postea etiam Romana. Quam Prouinciam dum optimē administrat, in Comitibus, quę habita sunt Romę anno Domini M. D. XXXI. magna electorum consensione, in locum P. Euerardi Mercuriani Prepositi Generalis quarti vitę functi suffectus est XIX. Februarij. Neque animos nostrorum Patrum, quo minū CLAVDIUM eligerent, retardauit aut illius ætas (nondum enim quadragesimum annum attigerat) aut Religionis temporis breuitas, vt Patribus & canicie & Religioso seruo venerandis ipsum præferrent, & in eius humeros vniuersę Societatis per totum terrarum orbem propagatę onus imponerent. Nec eos fefellit euentus: nam ita hanc tantam, tamq; laboriosam difficilemq; prouinciā sustinuit, vt siue prospera siue aduersa spectes, quę ipso clauum tenente multa & varia Societati nostrę acciderunt, electum à DEO esse credas; vt læta auget, tristia minueret, & per dubias ac turbulentas tempestates, DEO duce, nauem Societatis ad portum salutis dirigeret. Sed hæc (ne quid auribus dare velle videar) omitto. Scripsit Pater Generalis, tot negotiorum fluctibus pænē obrutus, quę ad eius gubernationem maximē pertinent;

Episto-

Epistolas benè longas, & non minùs religiosas atque eruditas, ad vniuersam Societatem, de renouatione spiritus, & unione fraternæ charitatis.

Industriâs item pro superioribus Societatis *ad curandos animæ morbos.*

CLAVDIUS DAVSQUEIUS, natione Belga, patria Audomaropolitanus, Theologus, rara Græcarum litterarum peritia, vertit è Græco sermone

Basilij Seleuciensis Episcopi Homilias x l. Notisq; eruditè illustrauit.

Expectantur eiusdem *Notæ in Q. Calabri παρὰ λειπόμενα*, & *in Silium Italicum de Bello Punico secundo Notæ.*

CONIMBRICENSIS COLLEGI *Commentarij in Aristot. Vide mox Cosmas Magallanus.*

CONRADVS VETTER, natione Germanus, *Varios tractatus contra hereticos Germanicè edidit, tacito nomine.*

Vertit & in linguam Germanicam *Martyrologium Romanum*, & *Decem rationes P. Edmundi Campiani.*

CORNELIUS CROCYS, natione Belga, patria Amstelredamus, sacris in patria ritè operatus, & in iuuentute piè instituenda gnauiter occupatus, dum matrem vetulam alit, Societati, vt optaret, iuuenis adscribi non potuit: quam vbi extulit, nihil duxit antiquius, quàm vt Romam pedibus contenderet, & à B. P. Ignatio, etsi senex, receptus adscriptusq; ceteris, ibidem sanctè in Domino quieuit. Scripserat antea Catholicæ Ecclesiæ commo aduersus hereticos ac potissimùm Anabaptistas in Batavia grassantes opuscula, vt illis temporibus, iucunda atque vtilia,

De

De Ecclesia, seu de notis ac signis Ecclesia.

De Fide & Operibus.

Orationem de Christi vita.

Meditationes pias in Passionem Dominicam.

Lusit item *Iosephi casti Comœdiam.* &

Colloquiorum puerilium formulas.

COSMAS MAGALLANVS, natione Lusitanus, patria Bracarensis, vix quattuordecim annos natus, Conimbricæ pridie Non. Julij anno M. D. LXVI. ad Societatem singulari DEI beneficio adductus, diu Rhetoricam docuit; studiis præfuit, quæstiones de moribus explicauit, & hoc ipso tempore sacram Scripturam Conimbricæ interpretatur. Scripsit *Japonensis Catechismi Tom. II.* & in *Epistolas Pauli ad Timotheum & ad Titum Commentarios* habet præ manibus. Iuuit ad hæc in

Conimbricensis Collegij Commentariis in lib. Physicorum, de Cælo, de Anima, de Generatione & Corruptione, & in lib. Meteororum, & Ethica Aristotelis.

CYPRIANVS SVAREZ, natione Hispanus, patria ex Ocaniæ oppido diœcesis Toletanæ, ætate matura, & vigesimum octauum agens annum, Societati se nostræ dicauit. Vir fuit candidi ingenij, prisca fidei, multæ ac variæ eruditionis, Latinis, Græcis atque Hebraicis litteris perfectè doctus, liberalibus artibus apprimè ornatus, sacrarum Scripturarum scientia probè instructus; & qui subtilitati in scholis disputandi, Conciliorum sanctorum Patrum, humanæ atque diuinæ Historiæ cognitionem adiunxerat. Is postquam diu Academiæ Ebo-rensensis & Collegij nostri studiis præfuit, atque in Complutensi sacram Theologiam professus est, tamquam rude donatus, atque emeritus miles, septuage-

ptuagenario maior Placentiæ diem suum sanctè obiuit, anno salutis M. D. XCIII. XIX. Augusti. Scripsit iuuenis,

De arte dicendi, libros III. breuissimos, sed elegantissimos. Scripsit etiam,

Commentarios in Psalmos Davidis, & in Cantica Canticorum. qui tamen typis nondum euulgati.

D.

DIDACVS DE PANTOIA, natione Hispanus. Scripsit Hispanicè

Narrationem Sociorum in Chinam penetrantium.

DIONYSIVS VASQUEZ, natione Hispanus, patria Toletanus, adolescens XXI. annorum cum esset, & Latinis Græcisque litteris probè excultus, Compluti nomen CHRISTO Domino nostra in Societate dedit, anno salutis M. D. L. & maiores disciplinas postea feliciter didicit, & in Hispania, Italia, atque Germania inferiore Superioris partes egit, Patrisque Francisci Borgiæ, tum Commissarij in Hispania Generalis, tum Romæ Præpositi Generalis adiutor atque à secretis fuit. Denique in Hispaniam reuersus Toleti anno Domini M. D. XC. ineunte, ætatis secundo & sexagesimo, vitam cum morte commutauit.

Martyrologium Romanum, Gregorij XIII. Pontificis Maximi iussu editum, è Latina lingua in Hispanam transtulit.

EDMYN-